

Johann Micraelius

**Kriegericus Hircander, omnibus bonis faetens & exosus: sive Johannes Fridericus Böckelmannus : Disputatione inaugurali putidas quasdam assertiones, COntra Sacratissimam Potestatem Ecclesiasticam, petulante splene evomens**

[S.I.], 1659

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn875158560>

Druck    Freier  Zugang





78.



Fa - 1092(78) *(SON)*

Tomo Soc. LXXXVII habent

1. Isaac Faustig de Epistola Jacobi Sententia Veterū.
2. — ad locum Jacobi V, 14-15. & sent. Lutheri pñor. Posterior.
3. — — — — — Tertia.
4. — — — — — 4.
- 5-13. Jo. Adami Osiander Disputationes IX. de luce in crea-  
tu et creatu.
- 14-18. Michaelis Schulleri Expositiones V. de Invocatib[us].
19. Wilhelmus Zestig de Thcologiae principiis cognoscendi.
20. Georgius Henricus Haerling de Benivolentia Dei  
generali et speciali.
21. Endenius Gerschowig de Passione et morte Iesu Christi.
22. — Haerlinus de Baptismo. <sup>tum</sup>
23. Jo. Adamus Scherzerus de fide baptizatiū infra
24. Antonius Reiserus de Sacram. Baptismi.
25. — Haerlinus de Iustificatione.
26. — — — — — 26. — — — — — de fide iustificante.
27. — — — — — 27. — — — — — Mich. Muller de Imputacione iustificatione.
28. — — — — — 28. — — — — — Endenius Oscarus de Renovatione.
29. — — — — — 29. — — — — — Jo. Neisnerus de oratione spiritus inhabitatione.
30. — — — — — 30. — — — — — Jo. Neisnerus de Ecclesia infantum.
31. — — — — — 31. — — — — — Jo. Osiander de Ecclesia.
32. — — — — — 32. — — — — — Georg Henricus Keller de Ecclesia infantum.
33. — — — — — 33. — — — — — Jo. Lud. Hartmannus de Elencho morali.
34. — — — — — 34. — — — — — Jo. Ad. Osiander de Inuisimis.
35. — — — — — 35. — — — — — de Miraculis.
36. — — — — — 36. — — — — — de Jure Patronat[us] Prisoriat[us] etc.

37.

37. Geom Henricus Keller de Magistratu Pol.
38. Kriegenq Hirlander Satyra in Bökelmanni Dfect.  
inaug. de Potestate Ecclesiastica.
39. Io. Henrici Chaji Epistola ad I. Jo. Fridericayon.
40. Disputatio ad 19o. II. i. 2.
41. Fridericus Lippinus de illano Antonio de Do-  
minis Episcopo Spalatensi.
42. Ministerii Tripolitani Anticisis Judicii Syncretismi
43. Ejusdem Ministerii Literae ad Colegiam Theologica.
44. Georgij Philippij Rissus Ruthenicus minor  
Lutetia.
45. Melchioris Corneci Aristoteles redirevo R. Cathol.
46. Gottlieb Wernsdorff Progr. de Ernesto Lueb.  
ad Orat. manu. Luhni.
47. — Exploratio Spiritus Brendeliani.
48. Io. Reinhart Brecht de Poenit. Iterabili.
49. Io. Michael Ludwig de prejudicis practicis.
50. Georgi Gustavi Zeltneri conjectura de Chilarmo  
presenti et Apoc. xx. 4. s.
51. Godofredi Rudovici Progr. de epist. ad Ebneos.
52. Christopha Matthias Pfaffig de Gratia et Prae.
53. Io. Sigismundus Kirchmeier de Principio fidei  
Verbo Dei contra revelationes Inspirationum.
54. Io. Henricus Majus Filius de Novi Ami Ubr. auctoritate.
55. Gaspari Cardilli Apologia pro Initiatione Concilii  
Trentini.

J.C.

KRIEGRICVS HIRCANDER,  
omnibus bonis fætens & exosus:

*five*

JOHANNES FRI-  
DERICVS BÖCKEL-  
MANNVS

Disputatione inaugurali putidas  
quasdam assertiones,

*Contra*

SACRATISSIMAM POTESTATEM  
ECCLESIASTICAM,  
petulante splene evomens,

*Satyrico ; mitius tamen quam pro merito, scripto depexus,  
& ad meliorem mentem invitatus,*

*a*

Parrhesio Philalethe, Christiano-politano. V.D.M.

*Qui quæ vult dicit, quæ non vult audit.  
Qui quæ vult facit, quæ non vult patitur.*

Anno Salutis M. D. C. LIX.

46.8

45.

47.0

51

4

3

38.

87,35.

Lectori Benevolo Salutem.

Rodeo Anonymus, non quod lucem fugiam, sed  
quia Veritas odium parit, quod tamen propter ve-  
ritatem pati non recuso. Miraris Nomen meum? Di-  
cam id, si sit necesse. Liberæ sum Gentis & Mentis: Non  
quidem ad magna natus, qui obscurus in angulo Palati-  
natûs delitesco, sed tamen qui magna despicere didici.  
Tu Lector amice vale, & his contra hujus temporis Em-  
pactas, Atheismo viam præparantes, Anti-Christi Poli-  
tici Prodromos, quos verè ex Psalm I. I. L E Z I M dixe-  
ris, in Domino utere;

Quid enim vetat ridendo dicere verum?

NB: Emphatica Graeca aut omitti, aut nonnulla latine Chas-  
ractere propter Graci defectum, imprimi debuerunt.



3.

## Salve mi Hircander!

**S**OLEM orientem omnes adorant: Novis Regibus munera ferent, novosq; gratantur honores Doctorali tiarâ redimitis. Tu Friderice Böckelmanne, novus, Horizonti Academiæ Heidelbergensis, Sol oriris: tu munera captas: tu lauream Doctoralem capessis: tu Principum benigniorem auram & gratiam (fortè Hemerobion) pulcherrimæ, si DIs placet, virtutis, adulcationis nempe medio, venaris. Etiam Ego, desideriis tuis satisfacturus, in medium prodeo, tibi orienti Soli lito: tibi novos tuos grator honores: tibi, te digna, munera fero. Sereno tu accipe vultu, quod serena affero mente. Invitatus à Te humanissime, accedo confidentior, & tui opusculi, Herrostratici fatigloriam sibi parientis, caudam:

*Tu Lector, si quid novisti rectius istis,  
Candidus imperti: si non, hū utere mecum.*

pag. 60.

p. 53.

mei facio caput, & candidus candidè quid sentiam tibi impertio. Peream si Chrysippeum acumen tuum, aures ad rectiora monstrantium consilium, obthurans, & harpocratici digitii impositiōnem minimè ferens, me assentatorem experiatur. Paucis multa comprehendam. Tu mē Hircander, lippis & tonsoribus fabula es. Tu per ora virū volitas, & per minas mulierum. Fabula omnium & omnibus cum sis, fabulā aditum mihi ad te parabo.

Legistin' admirabilem Apuleii, in aureum Asinum metamorphosin? Legisti sine dubio, qui multivariā lectione Doctoratus tibi peperisti gloriam. Sed variōs negotiorum tuorum anfractus,

A 2

prafat.  
criptū4  
46.8

45.

4  
40

51

4

3

5

4.

scripti & fabulæ eius ruminacionem hactenus fortean impediisse,  
reor. En igitur, tibi in Apuleii aureo asino, teipsum listo, isti tam  
similem, ut ne DEUS quidem Delphicus inter vos facile discer-  
neret.

Siste gradum, arrige aures, comparationis rationes rhapsodicas momentaneas, accuratiore limâ temporis defectu defraudatas, benevolâ manu accepta ab eo, qui, cum aliter litare non potuit, sic novo singulartatis Doctori libare debuit.  
*prefat:*

Apulejus Magiæ addiscendæ studio illectus, Hypatam pervernit, Hospite usus Milone ditissimo, sed sordidissimo, & ad nauseam usq; avaro, cuius conjunx Pamphile artis illius erat peritissima: dissimulavit tamen Apulejus, totus in venere mellitulæ Fotidis, Milonis famulæ, cuius ductu Pamphilen aliquando nocte vidit unguedine, arte Magica ad id præparata, totam perlinitam in alitem mutari, & mox in altum sublimatam, forinsecus totis alis evolare. Similè metamorphofin immodec affectans, à Fotide intensissimè rogatâ, in cubiculum Dominæ irrepente, pyxidem depromptam accipit. Quo eventu, ipsum audi fratrem tuum, aureum Asinum, Apulejum. Ego, ait, pyxidem amplexus ac deosculatus prius, usq; mihi prosperis faveret volatibus, deprecatus, abjectus properè lacinijs totis, avide manus immersi, & haurito plūsculo uncto, corporis mei membra perficui. Iamq; alternis conatibus, libratis brachijs in avem sinul gestiebam. Nec ullæ plumulæ, nec usquam pinnulae, sed planè pili mei crassantur in setas, & cutis tenella duratur in corium: & in extremis palmulis, perdito numero, toti digihi coguntur in singulas unguis, & de spina mea termino grandis cauda procedit. Iam facies enormis, & os prolixum, & nares hi-  
antes, & labia pendula, sic & aures horripilant auctibus. Et sanè hæc Apulejo fors cessit infelicissimè, adeò enim ejus sæpè corium est dedolatum, ut jugulum ipse proprium petere constituerit.

Et tu Domine Bockelmanne Heidelbergam venisti, in alitem abiturus, qui magni nominis celebritate per aëra superbus volitares. Sed illa ipsa Fotis tua, cuius immensè amplexus & basis appetiüsti, pyxidem inscia præbuit, ex qua perlinitus, periclitabundus jam terrâ resultans, & volatus superbissimos tentans, in misellum abiüsti asellum. Formam tamen tu, ut mentem Apulejus, te-  
nebas humanam.

In Af-

5.

In Asinum deformatus es, cūjus horripilantes aures, omnes boni rident. Onus suscepisti humeris tuis longè gravissimum atq; impar, à tota Doctorum cohorte tam diu obtundens plagis, donec susceptum sponte onus excutias, & tacitis gemitibus, fatuam tuam sortem acerbissimè defleas.

Meditationes (tuas? an alterius?) profers, tuā opinione, ab omnibus eruditū approbandas, sed quæ te, à teneris Hasibili qualitate præditum, toti piè eruditōrum orbi, Asinīnæ Facultatis Magisterio, & tiarā Doctorali dignissimam, luculentissimè probant. Jocis, quibus tua singularitas meritò venit exagitanda, seria misceo, & publicè profiteor, Te Viris Principib⁹ adulatorem, sancta Ecclesiæ jura impugnando, per omnes exulceratissimo hoc sæculo, oras volitanti Atheismo, latissimam aperire portam. Quid enim illi sacrum, cui non sacra Ecclesia? non sacra Oeconomia? Gloriolam quæris, sed triti illius Græcorum veritatem: Quo quis splendidior, eo miserior, experieris. Videris enim te suspendere velle, ut Thebis Heros fias.

Asinus es mi Eriphiander, ego misellus agaso. Patere excellas tibi aures parumper vellicari, sustine iustum unum aut alterum à me patientiū, qui tecum ago clementiū. Subsequentur forte, qui te pro merito fortioribus dedolabunt plagis.

Non omnia tua curiosiùs arbitrabor, sufficiat aures tantum tuas monstrasse, superbiūs erētas, ex quibus faciliūs asinum, quam ex ungue Leonem cognoscēs.

Rem opitulante Christo Opt: Max: ordiris. Optimè si Christi sustineas partes. Annon verò te pudeat, Christi Opt: Max: opem vel implorare, vel præfigere, ad S. S. Christi Ministerium, quod qui audit, Christum ipsum audit; Luc: 10. v. 16. debellendum & Eutaxian Ecclesiæ impudentissimè turbandam? Si vel mentem, vel linguam, vel manū tuam, Opt: Max: ille Ecclesiæ Rector, qui solus Potestatem Architectonicam, tanquam verum & unicū illius caput habet, & hoc honoris cum nullo mortalium communicat, duxisset, rexisset, in hoc absurditatum & singularitatum barathrum nunquam præceps ruisses.

Quomodo verò in publicum prodis? Sine Præside. Sine Præside? Tam profundæ scilicet eruditionis Asinus noster est, qui

4  
46.8  
45.  
410  
51  
4  
3  
5

in titulo.

in titulo.

in titulo.

A 3                      nullos

nullos exhorrescit oppositionum arietes, imò tantæ impudentiæ, ut sine Præside suas conetur orbi persuadere nugas, quibus Religio & Pietas vel Excellentissimorum virorum præsidium negavit. Non dabit Academia, virorum clarissimorum feracissima, putidissimis assertionibus Patronum. Sine Præside nugaris, sine capite, sine fronte, sine Duce pio & fideli. Turpiter erras per absurditatum avia, ad carduos, ut illis pascaris, delatus, stupidus Afinus.

*In titulo.*

*Electoralem jactas Dispensationem, sed parenthesis inclusam: Tibi scilicet male conscius, vel Sacra illi Majestati, vel rei tuæ me-tuens.*

*Ibid.*

*Solemni omnium Eruditorum examini submittis diversa tua juris themata.*

a. Jurisne thema Potestas Ecclesiastica? Functio sacri Ministerii cum severitate, non tantum ex authoritate, sed ex potestate, quam dedit Dominus Apostolis, & toti Ministerio, ad usque Mundum finem? 2. Corinth: 13. 10. Scilicet servi nunc dominantur, Heri famulantur.

b. Eruditorum Examini subjicis, qui tibi solus omnibus, omnium cornicum configendis oculis sufficiens videris, & totius Juridicæ Facultatis, addo etiam Theologicæ, Academiacæ Archi-Palatinæ, Præceptorum tuorum, judicium elidens & eludens, tui unius heteroclitæ capitistæ sententiam, sed non nisi velut Afinus in pelle Leonis, aut Bos in quadra argentea.

Nonne candidè sana sua, tibi consilia impertierunt Amici, qui noverunt rectius istis? Sed quid tu? Velut bardus Afinus vel doctissimorum, & amicissimorum judicia non judicasti crepitu diti digna, scilicet, velut Afinus esuriens, omnem neglexisti fustem. Sed heus tu Afine? Peregistine, an sustinuisti ex more tentamen privatum? An tu Præceptorum tuorum, vel illi tuam tentarunt, & explorarunt eruditioinem, & habilitatem? Tu illorum sine dubio, quia filius tuum genuisti Patrem.

Magno, stupendo Nomi, Serenissimo Principi Electori, Domino nostro Clementissimo Meditationes hasce offers. Adeone omnem exuisti pudorem, si quidem Afino pudor sit? Offers omnis eruditiois lampadi, Rhapsodicas momentaneas meditationes. Certe ostuum

*pag. 60.*

*in prefat.*

*Dedic.*

*Prefat.*

7.  
ostuum, os Curetum videtur, quo, velut Curetes Cybelis Comites, furore quodam sacro percitus, nolens volens vera fateris, dum Rhapsodiae epitheton hisce Meditationibus tuis ascribis:

Quando verò momentaneas vocas, Phœnicium quiddam spiritat. Constat enim viris cordatis, menses & annos, hunc te parturiisse fœtum, enixumq; tandem, ridiculum murem satis diu lambisse & relambisse, animi propositum Amicis aperuisse, & tamen ab improbo conatu dehortantibus, petulanter, Telamoneis tuis confisum viribus, restitisse.

Sunt interim momentaneæ: momento ortæ, momento perituræ, & fatum: Quod citè fit, citè perit: experturæ.

Inter varios negotiorum anfractus natæ sunt. Inter cerebri Eriphiandrici anfractus periculoſſimos, & præcipitia natas esse, diligere debuſſes: Negotia causaris. quæ quæſo negotia, qui non nisi studiorum gratiâ heic commoraris?

Et sane limâ accuratio opus habent, non ex temporis defecetu (vir esto, & vera loquere,) sed ex hasibili ingenii & judicij tui constitutione. Adhibenda ergo fortius lima accuratio, ut nihil residuum maneat, sed omnis tua in pulverem abeat opera.

Magno Principi chartaceum offers munus. Benè. Non cor-offers, non affectum, velut ille quandam Senecæ discipulus, & quale munus, cor tuum fucatum foret, qui in ipſa hac ad Serenissimum præfatione, contra mentem is:

Nec turturum offers, sed bubonem: non limpido flumine, sed in prefat. stercore repleta manu. Rapulum quidem offers, sed non èa, quâ Galliarum H̄ero, Rusticus mentis simplicitate & fidelitate, sed ea, quâ alter equum generosum offerens, ſpe ſua frustratus, rapulum illud in Antidoron ægra mente rapuit.

Miror ſanè, si mitius munus tuum Cainico munere experiantur Numen. Ignem tamen Abeliſ tibi ex animo precor, qui charatas rhapsodicis & scandalosis tuis meditationibus fædataſ confimat.

Hæc in Titulum & Præfationem.

Pag: 11.

Pergo ad ipsas meditationes tuas, & totus exhorresco, quando eas infâlces & infaustas, falices & faustas, à S. Triade eſſe jubes & precaris. Aliud patellæ tuæ quærendum erat operculum, ſi malâ yehi nolis afella.

Sed.

Sed Asinimum tuum acumen attentiū paulò contuens, id; quod quidem de Asino aliquid novi; deprehendo, satis te per cuniculos agere, & sphynge interdum, quæ Ephebias tuas literas de Ecclesiastica potestate, lectori expediret, opus habere. Ut teneare difficultius, agis obscurius, ita tamen, ut tua, in potestatem illam sacram, ipsumq; adeò Deum, illius authorem, injuria latere non possit.

Pag. 1.

*Diversorum diversissima; cum de Potestate circa Sacra extenti iudicia, alijs tribuentibus eam alijs, Politica eam subordinas, & coadunas Majestati.*

Cur non sufficit subordinasse? Coadunas Majestati, id est, Potestatem Ecclesiasticam, Politicam facis, & Politicam Ecclesiasticam. *Sidero-xylon.*

Ex qua lacuna, hanc tuam bibisti mentem, sitibunde mi Asine? Naturam magistrum habes. Benè. Vix enim, aut ne vix quidem, alias admittunt Asini Magistros, quam naturam, nullâ expellendam furcâ. Et tu Hircander? Num admissisti consilium Theologorum? An paruisti iudiciis, & decretis Jurisconsultorum? An suscepisti fidelia Amicorum monita? Minime verò. Asinina tua natura, & ingenium superbum te duxit, traxit, rapuit.

*Imperium in genere cum Hieron: de Cævall: tam facis naturale, sicut flumina defluunt, fontes nascentur, segetes crescunt, sol illuminat.*

Tamne naturale inter homines sit, quod invitâ societate armis extructum, tyrannide paratum est? quod nulli magis, quam planè naturales, hoc est, Originali infecti labes, qui in malitia & cupidinis & perverbi animi precipitati abyssum, veræ bonitatis, rectaq; perforant igniculos rationis; aversantur.

Tu Asine, divina Bonitas, sacra Dei providentia, induxit Potestatem superiorem in mundum, Roman: 13, 1. Proverb: 8. v. 15. Naturâ lapsu corrupta, non nisi tyrannidem, & veræ atq; divinæ Potestatis abusum. Quisquis Rex, quisquis Imperator, non nisi naturâ ducitur, male imperat. Quisquis verò generalibus spiritus S. donis instructus est, mediocriter: & qui speciali regenerante & sanctificante ejusdem gratiâ, is optimè.

Sed heus tu? cur profundum sapientissimi ingenii tui acumen, in tantum deridendum propinas? Doctissimum & subtilissimum

Pag. 2.

2

9.

simum Cardanum accusas, quod ab extrema cauda Ursæ minoris Imperia dependere afferat. Bene; nisi in eodem luto hæreres. Sed tu Cancer es, qui Patrem retrogradum increpavit, ipse postea quoq; retrogradus. Quando Cardanus Imperia dixit ab Ursæ minoris cauda dependere, quid aliud afferuit, quām, quod & tu orbi & urbi persuasum abis, videlicet Imperia esse naturalia, aut naturā directrice orta. Annon enim ex Physicis didicisti, stellas in hæc inferiora agere? Sed tuæ assertiones oracula sunt. Cardani piacula, et si ille idem, saltem non tuis verbis, afferat.

pag: 2.

4  
46.8

45.

410

51

Sed, quod felix faustumq; sit! agnoscere, quod Reipubl: felicitas sine Religionis cura nequaquam esse potis sit: A sinuum longissimè transcendit acumen. Fortè Onanthropos & Hircander noster, in quo humanum quid, in ejus metamorphosi remansit reliquum. Vix tamen Humanum quid, multò minus Christianum quid, sagax explorator in eo inveniet homine, qui intemeratae Religionis S. S. Ministerium, tam petulanter convellere quærit. Spuriâ illâ, & Diabolo natâ Ratione statûs, vos homunculi, non ex veræ pietatis Zelo, Religionis curam suadetis Principibus, & larvam pietatis appenditis non nisi Romulæo consilio. Videantur modò Princes, pii viri, licet non sint, ex Machiavelli mente. Pietatis umbrâ plebem emoliant, quamvis non serio eius cultu DEum Cardiognosta placent. Quæ hâc rerum facie speranda Reipubl: felicitas? An mirum & insolitum quid, ruente & penè evanescente Religionis curâ, & pietatis culturâ, omnia in dies in pejus vergere? An mirum terra, hominumq; rerumq; quotidie majorem oriri confusio nem? Non mirum, quia Religio non curatur, aut si verbis, non animo: si corde, hypocritico saltem & fucato: non sincero & candido.

pag: 3.

Sed dem tibi, lepide mi longauris, Naturale esse Imperium, quid tum? Unde Imperio coadunatam arcessis potestatem Ecclesiasticam? Rudis: Naturalis exigit ratio, ut penes quem est majestas, ipsius etiam circa sacra Potestatem habeat Architectonicam.

pag: 4.

Naturalem crepas, Asinus, sine mente, rationem. Politicum meditaris & machinaris Antichristum, cuius tu Hircander, bene o-lens es anteambulo.

Judæi duos comminiscuntur Mæsias, alterum Ben-Joseph,

B

hominem

hominem pauperem & vilem, sed fortē bellatorem, in bello contra Gog & Magog occidendum, qui jam venerit; Alterum Ben-David, virum splendidum, divitem, strenuum, omnium Gentium debellatorem, qui Judæos per specus quosdam subterraneos, in terram Canaan sit reducturus ut ibi gentibus dominarentur omnibus.

Antichristum Ecclesiasticum jam venisse, agnoscit nobiscum Hircander, & revelatum esse ac debellatum per Evangelii præconium. Sed machinatur idem novum Politicum, qui Evangelii præconibus, non tam quoad ipsorum Personas, sed quoad officium etiam, quod DEI nomine, nutu, & jussu gerunt, dominetur, potestate circa sacra Architectonica, hoc est, tali, qualem sibi rapit Papa à nemine acceptam. Jo! plaudite novi hujus Antichristi Cardinali Hircandro, cuius nova sententia omnibus bonis ac piis suaviter olet, Hircum nempe.

*pag: 4.*

Sed naturalis aurei Asini exigit ratio, ut penes quem est Majestas, ipius etiam circa sacra Potestate habeat Architectonicam. Animalia scilicet, Homo non est capax eorum, quæ sunt spiritus Dei, ut quæ ipsi stultitia sunt. Sustolle manus & vocem Hircander, cantionemq; canæ, qui magnam invenisti magistram, Naturalem Rationem. Quæ illa Rationis ratio? *Magistratui commissa Reipubl: felicitas, hac verò sine dicta Potestate minimè consistit.* Belle philosopharis. Cur non invertis & dicis. Ministris tradita est cura animarum, pro quibus rationem sunt reddituri. Hebr: 13. v. 17. vide etiam Ezech: 3. 18. & 33. Cap: consequenter etiam Religionis, sine qua, anima Deo religari nulla potest, & Ecclesiæ salus. Hæc verò opus habet Potestate Politica Eutaxian externam procurante. Ergò Ministris tributa est Potestas circa Politica, Architectonica. Patri familiæ commissa felicitas Domus, sed hæc firma consistere, nec belli nec pacis tempore, potest absq; Potestate Politica. Ergò quis rusticus, Pater familiæ, Magistratus Princeps erit. En quo prolaboris asinino tuo acumine!

Sed & hoc observari velim, terminos te mutare, & quod modo pag: 3. Cūram dixisti Religionis, nunc pag: 4. Potestatem vocare. *Cūram Magistratui circa sacra ultrò largimur & deferimus: sed potestatem architectonicam minimè concedimus.*

Ne

## II.

Ne tamen solâ cum ratione insanire videaris, sacros lambis  
Fontes, Afino minimè convenientes, & rudis: Tributam ita Poli-  
tica Majestati Hierarchiam sanctio non adenit divina. Sanius tibi dico:  
Tributam ab Asinina sagacitate tua, Politicæ Majestati Hierarchi-  
am, sanctio non dedit divina. Tutelam dedit, Curam dedit. Po-  
testatem non dedit. Populorum Reges, non fecit Ecclesiæ Reges,  
sed Nutritios. Et dum Hierarchiam dicis, politicam non esse fa-  
teris ipse. En quomodo tibi constes.

pag: 5.

Expressam constitutionis tuae, ex sacro Codice sanctionem abrogato-  
riam petis. Ergo nihil abrogandum à stupido ingenio & stulta na-  
tura tua proditum, nisi expressa sanctione? Miseror te, dummo-  
dò miseratione dignus es, verberibus potius quam verbis exci-  
piendus juxta illud Aristodemi apud Xenophontem. Tu expre-  
sam da Potestatis illius ementitæ & ab adulatorio ingenio tuo con-  
fictæ sanctionem constitutoriam, si vir es. Ait Asinum deprehen-  
dimus ad lyram. Ne agrè quidem corradere potes, aut ex perperam ex-  
plicato divini juris loco astrarere.

pag: 5.

Pro me testimonia sistis, laudata exempla.

a. Josaphati. Sed ubi eius laudabilia facta tuæ patrocinantur  
causæ? Magnam pius Heros meretur laudem, quod tantam Reli-  
gionis habuit curam, ut collapsam disciplinam instauraverit; &c.  
Sed fecitne id propotestate circa sacra, Architectonicâ, proprio  
motu, an vero jussu Dei, & instinctu Spiritus ejus? Fecitne id,  
quâ Rex Politicus, an quâ Rex Populi, sed Nutritius Ecclesiæ?  
Nec minorem merentur laudem, quotquot illius premunt vesti-  
gia, Reges, Principes, Magistratus. Prima enim, ipso Aristotele  
teste, etiam in Regno & Republica, sacrorum cura esse debet.

pag: 5.

Potestatem vis Ecclesiasticam conjunctam cum Potestate Politica.  
Pudeat Te contra Potestatem Ecclesiasticam insurgere atq; pro-  
dire, nec nosse tamen, quid, vel quæ ista Potestas sit? Qui bene  
distinguit, bene docet, Tu malè doces, quivel, per se, distincta &  
clara, confundis, & tenebris involvere satagis.

pag: 5.

Sed eheu! Tu Gorgone tua visa, omnium eruditorum faci-  
em pallorem, animumque tremorem subitum, & tantum non  
exanimes concasuros, stupido opinabarisi ausu. En verò Perseum.

b. Saulem & Rehabeamum Hypocritas, Davidi & Salomo-

B 2

ni fide.

*pag: 65.* ni fidelissimis Ecclesiæ Nutritiis malè connumerās. *Quid narrēmis  
ais Saulem, &c.* Imò verò narras & erras.

*Quid tibi cum Saule?* Crediderim, te meminisse asinorum, fratrum tuorum; à Saule quæsitorum, atq; ita amore in Saulem, ob insignem adhibitam diligentiam, exarsisse.

Adeōne in sacris hospes es, ut Saulis exemplo potestatem Ecclesiasticam, Politico Magistratui afferere non verecunderis. Cave tibi ab ipsâ Bileami asellâ, quæ si revivisceret, in te redivivo Bileamo, eiusmodi stoliditatem non ferret, sed denuò in vocem erumpens, te pro merito tuo increparet.

Tune de Potestate circa sacra disputes, ad sacra adeō inepitus, adeō in sacris hospes? Saulis scilicet exemplum Hierarchiam probabit, qui à Spiritu malo agitatus Pythonissam consuluit; qui manum sibi ipsi violentam intulit? qui per nefas in sacra irrupit, & hoc peccatum gravissimè luit, à Jehova rejectus, ne firmo & constanti regnum eius fato staret.

*pag: 66.* Sed Tu Collega Saulis Bockelmanne, qui perinde ut Saul, Prophetis connumerandus es, etiam *Rehabeamum Amicum* habes? Quin te reputem inter stultos illos *Rehabeami Consiliarios*, qui præsentissimum adulationibus suis, Domino suo adduxerunt extium, & irreparabile damnum? Nec bénignior hodieq; illis Principibus erit aura, qui te tuiq; similes assentatores audiunt, & in oculis ferunt. Ubi verò vel iota in sacris de *Rehabeami* circa sacra potestate extat? Si longæ aures tuæ ferunt, audi, quid de Levitis sui temporis dicatur. Et confirmarunt Regnum *Jehudæ*, & fortificarunt *Rehabeamum* filium *Salomonis* ad triennium. 2. Chron: Cap: II. 16. Hoc scilicet est dicere: Ethabuit *Rehabeam* Potestatem Ecclesiasticam Architeconicam. Nec tandem sapies? Usam addere debuisses, qui potestatem Ecclesiasticam involans, lepræ percussus, errorem agnoscere coactus fuit.

*pag: 67.* Turbam Papæam vellicare, & cum ea liberè velitari per me licet. Impinge modò fortiter unguis Hierarchiæ Papalis Monarchicæ hyperaspistis, sed senioribus rationibus, quam Regibus, consimilem, ascriptum abis. Nolim colla Regum & Principum Papæ, aut aliorum etiam Ecclesiasticorum Papissantium pedibus subster-  
ni. Sa-

ni. Sacra sit Magistratui Politico in omnes animas; Personas etiam Ecclesiasticas, à Deo concessa potestas.

Ast, quòd in Reformata Ecclesia Ministros & Pastores tam petulanter insurgis, qui impunè feras? Vereor, ne putridum sis Ecclesia illius membrum, scabiosa gregis illius ovis, & hircus olen-tissimus.

*Cum pace magnorum virorum dictum vis.*

Cum pace scilicet, illis bellum infers: Cum pace magnos illos viros deprimis, & servum facis Politici Magistratus, quoad sacri officii functionem, pecus. Joabicum osculum!

Potestati Architectonica tribuis Potestatem cogendi cives, ut juri sacro sive divino, sive naturali obtemperent. Adeóne ignoras conscientię libertatem? Asini ictibus adigendi sunt ad ferendum onera, non homines ad Religionis amplexum. Ad externam Eutaxian cogi possunt cives, ad juris divini, vel Religionis amplexum non posse-  
funt. Cum conscientia heic res est, quam nulla vis externa pene-trat. An nescis in historiis laudari Stephani Bathorei Régis Poloniae effatum: *Deum sibi tria reservasse, nulli Majestati terrena communica-bilia: Ex nihilo aliquid creare: futura præscire: Conscientijs dominari?* Et Maximiliani II. Imperatoris pronunciatum: Nullam esse ty-rannidem intolerabiliorem, quam conscientiis dominari velle.

Tu cogi vis Cives gladio, fascibus, similibusq; imperij requisitis, ut ob-temperent juri sacro sive divino, sive naturali. Vis cogi ad fidem, ad Religionem: non tantum ad externam disciplinam. Hypocritas ef-ficies quam plúrimos, qui metu territi, alienam Religionem si-mulabunt, aliena sacra frequentabunt: Menti bus nunquam imperare poterunt, ut pro non veris, non falsis, habeant, quæ vel vera vel falsa esse autemant. Liber est, & spiritualis hominis intellectus, quem nulla vis externa tangit. Abi ad Lactantii Fir-miani Instit: divin: libr: 5. Cap: 19. & 20. eq; dorsum tuum Asi-ninum probè, probèq; dedolandum porrige: aut mentem huma-nam & Christianum recipe. Religio enim per suadētur, non im-peratur. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed spiritualia,

2. Corinth: Cap: 10. v. 4.  
*Magistratum potestatem habere in sacris ( si enim aliter intelligis, potestatem Ecclesiasticam non feris ) ferendarum legum positivarum,*

B. 3. unde:

pag. 8.

pag. 8.

pag. 8.

4

46. 8

45.

4. 10

5.

4

3

5

unde didicisti? fortè ex illo Jehovæ ad Josuam Cap: I. 7. Tantummodo confirmare, & fortis esto valde, ut cum observantia facias prorsus secundum legem illam, quam præcepit tibi Moïse servus meus, ne recede ab ea dextrorum aut sinistrorum, ut secunderis, quocunq; iyeris. vide etiam Deuteron: cap: 17. v. 18.

Hoc te scire velim, Magistratum Politicum, Constitutiones Ecclesiasticas, Scripturis S. consentaneas, autoritate sua solum munire, & firmare, ut in leges apud imperitum vulgus, quod externis semper magis, quam internis movetur, & corporalia plus quam spiritualia respicit, publicas abeant. Heic Ecclesia, heic Presbyteri, heic Ministri gladium & fasces implorant, non, ut Reges & Principes ad Papæ subsellia & pedes abjiciantur, & faciant quod Papa vult, cius non nisi Ministri executores & carnifices, sed ut Ministerio auxiliarem porrigan dextram, in duendo ad Deum Dei populo, ut decenter & honestè vivere, & Evangelio Jesu Christi dignè ambulare discat.

Nec est, mi Bockelmanne', cur gladium Presbyteris neges: Nunquam illum veri Pastores & Presbyteri affectarunt, & præterea, non Ecclesiasticam, sed Politicam potestatem exercendi instrumentum est.

Herculis objicis clavum, dum pro Hierarchia Magistratus Politici illud Christi Joh: 18. opponis: *Regnum meum non est de hoc Mundo.* Capite hoc vobis Regnorum Mundi Para statæ. Cur, qui regna mundi tenetis, in Christi regnum, quod de mundo non est, jus vobis sumitis? Aliud regno Christi jus est, cuius Bockelmannus Candidatus, Doctor non est, nec erit unquam: alia regula, norma, forma alia.

pag. 8.

Potestatem Majestaticam exeruisse Christum animadvertere non datur. Impium os! Rude pecus! Asinus! Authoritate solum usus Christus? persuadere tantum quæsivit? nunquam imperavit? nunquam præcepit? quid ergo illud Matth: cap: 7. v. 29. *Docebat enim eos, ut habens Potestatem.* quid sonat Græcum *exusia*? num authoritatem tantum? aut persuasionem tantum? scilicet, non nisi persuasio & authoritas omni potestate destituta, fuit, quum Christus ejicit e templo ementes & vendentes, oves & boves, quum argentiorum numulos effudit, mensaq; subvertit, Joh: 2. cap: v. 14. 15. Sic persuadetur Asino fusti-

15.

no, fustibus, ex prato aliquo, expulso. Non nisi suadendo Aposto-  
lis Christum dixisse: Proficisci entes docete omnes Gentes, &c. Matthæi  
cap: 28. & Marc: 16. Böckelmannus putat, quem blasphemia ex-  
oculavit, ut in Christi præceptis plenissimam & absolutissimam  
architectonicam, & autoocraticam Potestatem & Majestatem  
cernere non possit.

Ecquæ ex Personis Ecclesiasticis, unquam, dum Sol æthere  
fulget, summam potestatem majesticam affectavit? Utiq; omnis  
vel summa Ecclesiastica Potestas, non nisi Ministerialis est, nun-  
quam Politica: & summa Politica, nunquam Ecclesiastica.

Illud Luc: cap: 22. 25. cur suggestis? Quis unquam ex protestan-  
tibus Ministeris, jus sibi Politicum, & dominium mundanum ra-  
puit? Ecclesiasticum volumnus, non Politicum.

Nec Petrus I. Epist: Cap: 5. v. 3. Potestatem Ecclesiasticam velli-  
cat, sed tyrannidem superbam & ambitionem reprimit, quæ nullâ  
nec ratione nititur, nec potestate verâ.

Primitivæ Ecclesia sententiam, & Christianorum Imperatorum ex-  
empla frustrâ adducis. Accuratè vetus Ecclesia distinxit inter Po-  
testatem.

1. Prædicationis & Sacramentorum Administrationis, &c. quam  
soli Ministerio reservavit, nec ullibi Magistratu Politico compe-  
tere asseruit. Et pro hac Apostoli in Concilio Hierosolymitano  
simil congregati, alibiq; officio fungentes seorsim, alia atq; alia  
Ecclesiæ observanda indixerunt.

2. Juris Clavium, cuius rationem Cathechesis nostra, quæ-  
stionibus 82. 83. 84. 85. dilucidè satis exponit, & quam potestatem  
ipsi Principes, veræ Pietatis exemplaria, nunquam subtractam vo-  
luerunt Ministerio, quin potius ipsi se subjecerunt huic potestati,  
exemplo Friderici IV. laudatissimi Electoris Palatini, quæ, cum Bar-  
tholomeus Pitiscus in Synedrio Ecclesiastico ad Pastoris Aulicu munus inau-  
guraretur, eum ius sit (quod aeternitati consecrandum) ut animo imperter-  
rito officij sui rationes exsequeretur, ac liberè se moneret siccubus S. literæ mo-  
nendum dictitarent.

4

pag: 8.

5

pag: 8.

6

pag: 8. 9.

7

Toss: Heidelb.  
const. destit:  
restit. pag: 30.

3. Externi Ecclesiæ juxta ordinem & decorem regiminis, quod  
sanctionem legum Ecclesiasticarum, cuivis temporis & loco, aliisq;  
circumstantiis convenientium, sed à Sacra Scriptura minimè dis-  
fenti.

4

46. 8

45.

4

10

5

4

3

5

sentientium, inductionem Synodorum, sumptuum subministracionem, Ministrorum vocationem & remotionem, & quæ sunt alia ejusmodi similia, comprehendit, quæ potestas non absoluta, non architectonica, non autocratica, sed certis limitibus est circumscripta. Et hanc Politico Magistratui minimè negamus, sed ei competere velis remisque contendimus, quam etiam & non laxiorem sibi usurpavit Constantinus M. causam Donati & Cæciliani Episcoporum cognoscens & judicans. Euseb: l. 10. c. 5. & Episcopos sic alloquens: *Vos estis Episcopi in Ecclesia: Ego extra Ecclesiam seu tempulum Episcopus à Deo sum constitutus.* Euseb: l. 4. c. 14. In quam Constantini M. sententiam, integrum Commentarium scripsit clarissimus Theologus Nicolaus Vedeli<sup>9</sup>, quem aliquando me legisse memini, & doleo valde, quod nunc ad manus non est.

pag: 9.

*Factum Humanum*, quod tamen latius quam par est *onanthropos* noster extendit, non moramur, quia regulis & veritate nitimur, non exemplis illorum, qui sibi sappè jus, præter fas, rapiunt.

*Facto Humano summam circa sacra potestatem, Majestati Politica subjiciunt, coadunant. Num jure? Non malè olim eximiæ eruditio vir: Ut brachia ad humeros, & humeri ad collum & caput annexuntur; nec dextrum brachium, dextrus humerus, sinistro, vel contrà subjicitur; ita potestas temporalis & spiritualis, sive Ecclesiastica & Politica, licet membra sint unius corporis Politici, & partes unius Reipublica, atq; Ecclesia Christiana, neutra tamen alteri subjicitur, neutraq; alterius fines & jurisdictionem sine scelere potest invadere: sed ambae, velut unius corporis humeri, ad caput, qui Christus est, annexuntur. Quarum hac Politica scilicet, vita degenda præcepta, quibus societas humana tranquillitas continetur, civibus & subditis præscribit: Illa vero ad immortalitatis, & felicitatis aeternæ contemplationem supernaturalem (qua & cum Politica tranquillitate, & sine ea interdum subsistit) animos hominum erigit, informatique. Ex quibus sequitur separatas esse has potestates in eadem Republ: Christiana, ita ut neutra alteri, quatenus talis est, subjiciatur.*

pag: 13.

Atq; hæc, ab Ecclesiastica Ministerii potestate diversa, Regibus, Ecclesiæ Nutritiis, qui & ipsi, sano sensu, Pastores & Patres populi dicuntur, ab ipso D E O in Scriptura & per Scripturam loquenti, tributa, nuperis vero calamitosi belli motibus turbata, S. R. I. Principibus & Statibus in Pacificatione Monasterensi est restituta.

*stituta. Non summa illa & Architectonica seu absoluta: sed restri-  
cta, limitata, aliunde dependens, adeoq; etiam ipsa Ministerialis.*

*Sed eho! spectatum adeste Asinum nostrum apud Cumānos,  
quām subitō mysteria portet, & Herculānam scabiem venerabilē  
Ecclesiasticorum cōcū affricare conetur, ut ēā jucundē prurien-  
tes, esurienti asino, in gratitudinis signum, avenam objiciant, &  
pro favore, atq; suscepto, si Diis placet, patrocinio, gratias agant.*

*Reverendissimo Ecclesiasticorum Cōcū coacto, separato sua maneat  
authoritas.*

*Gratiam habe mī Ægyptie Asine, pro negata sacratissimo  
nostro ordini Potestate, & concessa authoritate. Certè dignus es,  
qui te carduis pascamus, & flagello, ut tuum feras onus, adigamus.*

*Ministerio tribuis authoritatem, quā tuo sensu longè in-  
ferior est potestate illa architectonica, Politarchis à te ascripta:  
Nec meministi, qui veterum judicia pro te stare opinaris, quo-  
modo veteres potestatem distinxerint, nempe*

- 1. In summam, seu authoritatis.
- 2. In medium, seu excellentia.
- 3. In infimam, seu Ministerij.

*Magistratum dixerunt esse potestatem Roman: 13. v. 1. & ange-  
los potestates appellari. Coloss: 1. v. 16.*

*Cum ergò tu Ministerio tribuis Authoritatem, juxta veteres, ei  
tribuis summam potestatem. Vide quōd labaris, vide quām te re-  
rum deficiat praxis, quā magistrum efficit.*

*Ecquid? Ecclesiasticus secundū te, nulla est potestas Ecclesiastica.  
O miseros ergò Ecclesiasticos, qui Ecclesiasticum quid, ne som-  
niare quidem audent.*

*Cave Tibi bone Paule, ne te Ægyptius noster Asinus, aut in  
ponte occurrens hædus, de ponte dejiciat, & dicam tibi scribat,  
quōd exusian ad adificationem, Ministerio tribuis: Authoritatem de-  
buisses dicere. Sed cum exusian dicas, Asinus noster auriculos  
movet, & authoritatem, non potestatem, pro suo acumine, Pauli exu-  
sian Ecclesiasticam, interpretatur, et si eādem voce Roman: 13. v. 1.  
Politica potestas describatur. Hoc parum ipsi est, quōd Ministri  
verbī vocantur Oeconomi 1. Corinth: 4. v. 1. quibus claves & pote-  
stas domūs Ecclesiasticae tradita: Dynameis, Kyberneis, 1. Cor: 12.*

*¶. 28. Proiftamenoi, Proestotes Roman: 12. ¶. 8. 1. Thessal: 5. ¶. 12.  
1. Timoth: 5. ¶. 17. Hegumenoi. Hebr: 13. ¶. 17. scilicet in his omnibus non nisi authoritas est, id est, facultas in agente, movendi se ad arbitrium patientis.*

*Paulus Ministris jubet obedire Hebr: 13. ¶. 17. Insanis Paule, multe literae te ad insaniam adigunt. Actor: 26. ¶. 24. Cur enim illis obediendum, quibus nulla potestas? Potestas est facultas ad obsequium obstringendi. Annon vero obstringit Ecclesia, Ecclesiarum Presbyteri, & Pastores? Imo vero obstringunt, & longe quidem fortius, quam ipse Politicus Magistratus, excludunt enim refractarios ex ipso Dei regno, & morte spirituali afficiunt immorigeros. Imo longe divinior & magis Architeconica est Ecclesiastorum potestas, qui a morte spirituali solvunt, quem Magistratus a corporali neminem tutum prestare possit.*

*Pag. 15. Quid te Salustii sententia juvat? Ante in Patribus summa Authoritas, vis multo maxima in plebe. Quam tibi constas? Si natura Magistratui Potestatem dedit, cur Patribus illis defuit? Qui constituit Imperium Romanum, potestate a Patribus ablata? Sic Livij & Taciti pro Te citata oracula, contra te militant, & avulsam a Magistratu potestatem summam testantur. Martyrem, summum illum Theologum, quod tu sententiæ hyperaspitem fingis, iterum peccas. Nullibi ille authoritatis Ecclesiasticae mentionem facit, sed potestatis, & hanc a Politica contra distinguit. Nec Magistratui Potestatem Ecclesiasticam subjicit, sed Personas Ecclesiasticas, si quando munere suo non recte funguntur.*

*Vocat Deus Magistratus externè & mediately Pastores & Ministros Ecclesiae suæ, tum ratione Personarum, quia membra sunt Ecclesiae, & quidem præcipua, tum ratione Officij, non quia Ecclesiae Magistri sunt architeconici, sed quia Nutritii, & utriusq; tabulae Decalogi custodes divinitus sunt constituti. Sed potestatem ipsam, immediatè Deus concedit, mediately & ordinariè vocato.*

*Pag. 15. Tua porro, hoc est, Asini lana est, quæ putide evomis, si precepint Ecclesiastici quid, deficiente robore majestico divino, humanove, nullum obstringi dixerim.*

*Eheu! ab hæreticis Anglis, quos Seekers vocant, venenum hoc, tu imbibisti, nullam corde credis Ecclesiam, ut ut os aliud sonet,*

Ibid.

2

sonet, nullum Ministerium, nulla Sacra menta. Verbum DEI  
tibi litera est mortua, & ministerium divinitus institutum, mini-  
sterium mortis, & potestas eius planè nulla. Sic uno errore imbi-  
bito, viam tibi paras ad plures. Quas olim in Ecclesia Palatina ex-  
citarunt turbas Thomas Erastus, Adam Neuserus, Christophorus Probus,  
ille Medicus & Senator Ecclesiasticus, ille Pastor ad D. Petri, hic  
est Cancellarius Electoralis. Has tu instauras, & veterem re-  
novas pugnam, qui architectonicum Ecclesiarum regimen ad Magi-  
stratus civile arbitrium defers.

Apoge ex Academia & Ecclesia Heidelbergensi, veritatis æ-  
de & asylo. Apoge in Angliam ad Colemannianos, tui similes.

Serenissime Princeps, Domine Clementissime, liceat mihi  
humilimè Te paulisper affari. Per DEUM, per Ecclesiarum, & tu-  
am ipsius salutem, te rōgo, cave Tibi ab ejusmodi assentatoribus,  
& parasitis, nec palpum tibi ab illis obtrudi, aut in laqueum te in-  
duci patiare, cuius nexus, sine crimine læsa maiestatis divinæ, li-  
berari nequeas. Veneranda est tua Majestas, sed tremenda est Dei  
Majestas, Tuā longissimè superior.

Nutritius es Ecclesiarum, non Dominus. Quod nutritiorum &  
Pastorum erga pupillos & officium, hoc Tu præsta Ecclesiarum, Nu-  
tritorum autem & tutorum est curare, ut pupilli benè educentur,  
rectè informentur, & contra quasvis injurias defendantur, hinc  
Præceptorum disciplinæ eos committunt, de vietu, & amictu pro-  
spiciunt, examina instituunt, profectus explorant &c.

Præsta idem piissime Princeps, Ecclesiarum, quam sibi Christus  
in Tuā colligit ditione. Cura, ut veri Doctores præficiantur, con-  
stituta Doctoribus salario numerentur, Ecclesiarum & Scholæ non-  
nunquam visitentur &c.

Pastor es Jerem: 6. v. 3. Esa: 44. v. 28. Cura igitur, ut sub-  
diti ad pascua doctrinæ salutaris deducantur, ut orthodoxi Docto-  
res præficiantur, hæretici abigantur, & ejusmodi novaturientia,  
singularitatibusq; studiosa, quin etiam, non habito honestatis &  
æquitatis respectu, vanam tantum auram captantia ingenia remo-  
veantur.

Pater es. Prospice ergò liberis, hoc est subditis, non tantum  
de felicitate externa, sed de spirituali etiam in verâ Religione in-  
stitutione.

**E**t vos Curiæ sacræ, Ecclesiarum & Scholarum Antistites, Academiarumq; Professores, vigilate, vigilate inquam, hoc cum primis tempore, quo terra Palatina non plena tantum luporum rapacium, hoc est, animalium quadrupedum, ovivororum, quos lupos vocant, sed luporum quoq; metaphoricorum & hieroglyphicorum, hoc est, impostorum, qui Ventri serviant, Plutoni litant, Christum verò & Ecclesiam floccifaciunt.

Redeo unde sum digressus.

*pag: 15.*

*S*i præcepta Ministrorum Ecclesiastica, deficiente robore Magistratus neminem obstringunt, ô stultos ex tua, Bockelmanne, mente, Israëlitas, qui ad Eliæ vocem convenerunt. ô stultos, quotquot hodieq; Dei verbum à Ministris prædicatum recipiunt, eiq; credunt, nisi à Magistratu compulsi. Non verbum D E I prædicatum, sed Majestas Politica ex Ægyptii & Cumani Afini mente est attendenda.

*pag: 15.*

*A*ddis: *deficiente robore majestatio divino.* Quale hoc robur Majesticum divinum? Nonne ipsa potestas Ecclesiastica, cum Dei cooperatione, qua possent Ministri, atq; ita obstringunt, ut nullus vel potentissimus Monarcha Dei legibus atq; præceptis solutus esse queat.

*pag: 15.*

*N*ullum obstringi. Scelestæ mens, & afinina tua vox est. Parum effecturos apud Atheos, & Bockelmanno similes, Ecclesiasticæ potestatis, juxtaq; ipsius verbi divini contemptores, dicere licuisset. Sed nullum obstringi, quid scelestius? Ergò tu igne, fasce, gladio Magistratus vis compelli, non moveri Ministrorum Christi voce, quos qui audit, ipsum Christum audit: nec quicquam curare Ecclesiasticorum munus, nisi robore Magistratus adactus? scilicet, oderunt peccare mali, formidine pœna. Sed quid si te nolentem ligent in terra Ministri, ut ligatus sis in cœlo? Quale hoc robur erit? An Majesticum divinum? An Politicum? Perfricuisti frontem, nec curas Afinus pluvias. Quia nec ipse Christus ex tua mente te obstringere potest, quem potestatem Majesticam in suo munere non exercuisse, blasphemо antea ore evomuisti.

*pag: 15.*

*P*ergis metà pollēs phantasias, cum magna ostentatione fabulari: Imperatoribus, imperium, sacerdotibus ministerium tribuitur.

*B*ona verba quæfo! An circa idem objectum? An illis imperium,

perium, Religionis respectu? An his ministerium, sine ulla potestate Ecclesiastica? Abi in meliorem rem, qui jam in pessima es, Hircander Asine. Imperium illis ut Gentium Dominis. Ministerium his, ut Ministris Dei, & verbi illius, tribuitur.

Quid hinc lacri tuo Syderoxylo potestatis Ecclesiastica? An non ipsis etiam Magistratibus diaconia tribuitur? Roman: 13. v. 4. Etiamne hinc inde fabam cudes, ipsis nullam esse potestatem?

Dicis: Principes adhibuisse excellentissimorum Theologorum auctoritatem, sed persuasoriā, & utut deficiat applausus authoritatis, istiusmodi ordinationibus ob iussionem duntaxat Politice Majestatis esse parentum.

Pag: 14. Non vis Atheologos proclamari. Heic ne Christianus quidem es, imò infideli Ethnico deterior.

Nonne ex potestate suā Ecclesiasticā, Theologi viros Principes ex verbo Dei instruunt, quæ bona, justa, & voluntati Dei consentanea sint? Non consilia tantū loquuntur, sed vitæ etiam regulam & normam præscribunt. Nec obligantur conscientiæ subditorum attendere ad constitutiones circa sacra, nisi piæ & verbo Dei sint consonæ, quod docere solius & potestatis Ecclesiasticæ Ministrorum.

Nec obtrudi possunt Ministris qualescunq; circa sacra constitutiones. Constitutionibus verbo Dei contrariis, scandalosis, & noxiis Ecclesiæ, potestatis Ecclesiasticæ virtute se opponere & possunt, & debent: quin moriendum potius, quam cedendum, & contra conscientiam, circa sacrorum cultum, agendum.

Pare non est necesse, cessante iussione Magistratus et si id jubeat Theologorum cætus. Erastianismi virus jam mentem pervasit tuam. Te Principum Oedipo brevi omnis planè exulabit fides, justitia, pietas, scelerumq; grassabitur licentia. Siccine Ecclesiæ Apostolicis liberum fuit agere quicquid libuit, nec quicquam curare Episcoporum, Pastorum, Ministrorum Ecclesiæ constitutiones, deficienibus Magistratus politici iussionibus? Certè crepitus tuus Asinus bene tibi olet.

Bonum, pium, & de tota Republ: Christiana meritissimum virum, Davidem Pareum, quid maceras? Illene tuae impudentiæ patrocinetur? Quis Reformatorum aliter atq; ipse: Principem debere

debere defendere Religionem veram, falsam avertere, blasphemias & hereses arcere, &c. Pondera acuratius quæ scribit in Comment. ad Roman. 13. & tecum non sentire apparebit: Principes, ait, debent parere Ecclesia in ijs, in quibus verbum Dei parere jubet, hoc est, in fide & pietate communi. Potestatem Architeconicam Magistratū, non dicit Ecclesiastica, sed Regiam, quæ impropriè demùm vocetur Ecclesiastica, quia non sit talis conditione & actibus, nec ecclesiastice exerceatur. Addit: Magistratus aliquam curam circa Religionem, Ecclesiam & Ecclesiasticos habere debet, &c. Nec habet potestatem Princeps de Religione, fide, doctrina, & cultu Dei quicquam statuendi aut praciendi pro arbitrio, &c. Christiani Principes, Ecclesia Pastores & Ministros reverenter habere, honestè alere ac tueri, eorumq; ministerio, hoc est, doctrinæ ac disciplinæ juxta verbum Dei subesse, & obtemperare per conscientiam tenentur. Nolo plura coacervare. Vides, quām tibi cum Pareo conveniat.

pag: 18.

Quicquid sit, summum id judicium, quoad forum externum circa sacra, ex natura potestatis, relinquendum Magistratui, quem tamen heic Christianum præsupponimus.

Quicquid sit, asinus es, cui competit tritum illud:

*Asinus, Nux, Mulier, simili sunt lege ligati,*

*Hæc tria nil rectè faciunt, si verbora cessent.*

Imò verò, tu Arcadium pecus, nec verbere vis erudiri, qui verba omnia superciliosè, qualis omnis sapientia & eruditio in solo pectoris tui scrineo resideret, contemnis.

Si ex natura Potestatis relinquendum Magistratui soli hoc judicium, cur Christianum præsupponis? Quod ex natura rei est, non ita se astringi patitur. Aut igitur hoc judicium circa sacra, non ex natura sacerdotalis Magistratū esse fateberis, aut in fidelibus etiam Magistratibus idem tribues. Quām bene verò Ecclesia consulles? Quæ non inde Ecclesia pernicies?

Nunquam legisti, quām liberè veteres Dei viri Prophetæ, magnorum etiam Regum vitia carpserint? Idem nobis munus, eadem administrationis potestatis Ecclesiasticæ & ratio & essentia, in qua usurpanda discretionem adhibere, & aliter pedem aliter caput curare, ex piis præceptorum nostrorum; inter quos etiam Clarissimos viros, Zepperum & Rivetum, cum multis aliis numeramus;

pag: 18.

23+

ramus; monitis & præscriptis verbo Dei consentientibus, appri-  
mè novimus, ut novi istius Asini profilientis, mysteria magna  
portantis, & aliorum jura proculare volentis, manuductione, nî  
meliora doceat, minimè habeamus opus.

Impiè agis, dum curæ & potestati Ecclesiasticae Politicos Ma-  
gistratus subtrahis: Oves ergò esse desinant. Tu verò move auri-  
cularis & audi: Curam pastoralem non tantùm versari in docendo,  
ducendo, suadendo, consulendo, sed etiam in carpendo, & arcen-  
do à grege tui similes scabiosas & incurabiles oves. Etiam Ma-  
gnates errant, & nôsti, quām sint periculosi illorum errores, nœvi  
& lapsus? Annon igitur corrigendi? Annon judicium Ecclesiæ  
Pastoribus, in illorum facta, fidei & pietati communi contraria  
sumendum? An apud Deum *prosopolepsia*, quâ connivet potentio-  
rum sceleri, inferiorum verò ulciscitur? Apage cum asinina tua  
theologia. Imò curari non possunt & ritè pasci oves minores, nisi  
curentur quoq; majores & corriganter.

Vide Clariss: Reink. de Reg: S. & E. l. 3. cl. 2. c. 2. per totum,  
& Carpz. Jurispr. Eccles: l. 2. tit. 15. def. 224. Item l. 3. tit. 7. defin:  
82. per totum, &c. à quibus, novâ tuâ Pseudologiâ, æquè dissen-  
tis, atq; à veneranda Facultate Juridica Heidelbergensi, quæ fin-  
gularitatis tuæ & arrogantie vitio remedium adhibitura, repulsam  
autem passa, asinorum tibi fatum, hoc est, fustes & verbera re-  
linquit.

*Règis ad exemplum totus componitur Orbis.*

*Omnès sibi licere putant, quod Principem facere vident.*

Lex enim animata est, quâ haud difficulter regitur vulgus.  
Rex ergò ex sacris informandus, quâ ratione lucida in Israële lam-  
pas esse queat. Jcti vestri de Regum & Principum institutione li-  
bros scribunt, in quibus tamen nonnulli, Bockelmanni similes, pa-  
rasitos ( aquâ & aurâ indignos ) agunt, & Principum aucupari  
favorem conantur, quam tamen vel sollicitè quæsitam citius per-  
diderint, quām velleviter gustaverint. Quidn' nos, quibus Eccle-  
siæ curam, & ex usian ad adificationem dedit Dominus, etiam Regi-  
bus dicimus: Reges animadverte, eruditio nem percepite. Psal: 2. v. 10.  
Fœlices nos, si etiam Reges & Principes erudierimus, justificaveri-  
mus. multos Dan: cap. 12. v. 13. sin mederi non possumus vitiis il-  
lorum,,

4  
46.8  
45.

4  
410  
51

4  
3

5

lorum, qui venditi sunt ut malum faciant, quosque Dominus ad manifestandam orbi majestaticam *Autoeratricam & Architectonicam* suam potestatem, perdere constituit, ad extrema etiam pergendum, non tamen sine debiti honoris. Politici exhibitione, & causa Deo; cuius propria est, quicq; eam non deferet, aut Ecclesiæ incrementis, ex severiore Ministrorum officii functione, tam seve ipisis Ezech: 3. & 33. capp. injuncta, inferri damna patietur; committenda.

pag: 18.

Cave verò Tibi sancte Pater Ambrosi à Bockelmanno nostro, si hoc Consiliario Théodosius uitur, tu Michæ sortem experieris, & edes panem angustè, bibesq; vinum angustè. I. Reg: 22. 27.

Cur tu, Magnatum Parasita ster, miseraris Theodosium, atq; reprehendis, quod æquissimo ille tulit animo.

pag: 18.

In immeritum, processum duriorem adhibuisse Ambrosium, ais. Quid? in immeritum? Immeritus tibi est omnis Princeps, pro potestate sua, in Ecclesiasticis Architectonica. Immeritus tibi est omnis Imperator, cui ex mente Julianæ, ad privignum Basianum Caracallam dices: licet, si libet: *An necis Imperatorem te esse, & leges dare, non accipere?* In immeritum Theodosium. Immeritus is, qui promiscue sayit in vulgus, & trium horarum spatio 7000. hominum, per militum cohortes trucidat.

pag: 18.

Sed discretionem adhibuisse debuisset erga Theodosium, qui facile Rempubl: everttere potuisset.

An neglexit discretionem Ambrosius? vel eam à Bockelmanno; tum adhuc aliquot secula in Utopia; didicisset? Ignorare videris historiæ circumstantias, & parrhesiam ab ipso Deo Ministris præscriptam: nec parrhesiaztein, sed parasitari velle. Disce, quod te Matth. Theatr. latet, ex historiis. Ambrosius cladem gemitibus plenam audiens, cum Monarch. p. m. 718, 719.

Theodosius Mediolanum venisset, & solenniter in sacrum voluisset intrare Templum, occurrit foris ad januas, & ingredientem his sermonibus à sacri liminiis ingressu prohibuit, dicens: *Necis Imperator, perpetrat & necis quantast magnitudo, neq; post causam tanti furoris mens tua molem presumptionis agnoscit?* Sed forte recognitionem peccati prohibet potestas Imperij. Decet tamen, ut vincat hic ratio potestatem. Scienda quippe natura est, ejusq; mortalitas atq; resolutio, & pulvis progenitorum, ex quo facti, & in quem redigendi sumus: & non flori purpureo confidentem, infirmitates operti

operti corporis ignorare. Coequalium hominum es Imperator & Conservorum. Unus enim omnium Dominus, Rex & Creator. Quibus igitur oculis aspicies illius templum, qui est omnium Dominus? Quibus pedibus sanctum illud solum calcabis? Qui queso, manus inusta cade ac sanguine respersas, extendere audes, & eisdem sacro sanctum Domini corpus accipere? aut quomodo venerandum eius sanguinem ori admoverebis, qui furore ira jubente, tantum sanguinis, tam inique effudisti? Recede igitur, recede, ne secundo peccato, priorem nequitiam angere contendas. Sed capesse vinculum, quo, ut ligeris, Dominus omnium cœlitus sententiam dat. Quod quidem vinculum vim habet & morbum animi depellendi, & te ad sanitatem restituendi.

Huic Orationi Imperator obediens (nam divini educatus eloquijs accuratè norat, tum quæ essent Sacerdotum officia, tum quæ Regum propria) cum gemitu & lachrymis ad Palatium suum revertitur, & sic pœnitentiam egit, ut populus pro illo orans, magis fleret videndo Imperatorem prostratum, quam timeret peccando iratum. Nam cùm excommunicatus esset, largum lachrymarum fontem ex oculis effudit, cùmq; ex eo quereretur, quare tam lamentabiliter fleret & respondit: Et templum & cœlum clausum mihi est. Recte dixit cœlum sibi clausum esse, quamdiu excommunicatus viveret. Nam ipse Christus inquit Matth: 18. v. 18. Quacunq; ligaveritis super terram, ligata erunt in cœlo. Elapsis autem ab excommunicatione mensibus octo, cum instaret dies festus Natalitiorum Christi, Theodosius receptus est ab Ambrosio in Ecclesiam, pronunciata ei absolutione publica post actam pœnitentiam. Eodem submonente Imperator tulit legem (quam propria manu literis confirmavit) quâ cognitiones causarum de cœde, & pœna Capitales, ab Imperatore injunctæ in diem tricesimum differri jubebantur. Historiam recitat Theodoreus I. s. & hoc epiphonemate claudit: Tali tantâque virtute, & Ambrosius & Imperator erant illustres. Nam utrumq; ego admiror: illius quidem libertatem, hujus verò obedientiam: Itemq; feroris flamas illius, & hujus fidei puritatem.

Sed tumultus cavendus. Bellum Hirci-viri monitum! Novimus verbi sacri Praecones, pacis nos atquè justitiae Praecones esse. Suam Magnatibus relinquimus potestatem, etiam à corpore Ecclesiæ revulsis, nec relinquimus tantum, sed asserimus etiam, atq; defendimus, qui infidelibus quoq; & malis Dominis, in Domino tamen parendum esse docemus. Majestati non obstrepimus, dum impietati resistimus.

At verò tibi kakai phrenes, bedy lalema, mala phrenesis jucundus

D sermo.

pag: 19.

4  
46. 8

45.

410  
45.

4

3

5

*sermo.* Coquorum verbulis delinire vis, & caudâ tuâ asinina ab-  
blandiri (non fælicius quâm asellus ille apud Æsopum) Christi  
ministerio; *Nihil te ire detractum Ecclesiastica disciplina*, quam tamen  
totam subruere, hactenus es conatus. Scilicet in te quadrat illud  
Germanorum: Wasch mir den Belz vnd mach jhn nicht naß. Viro  
honesto colaphum impinge, & tunc pectoris candidi, & amoris;  
non fucati indicium jacta.

pag: 20.

Catechismum Heidelbergensem, tu in ipsa Heidelberga Doc-  
toris honores, & Professoris munus ambiens, viperina progeni-  
es, turbas & turpas, nec tamen hypocrita, qui es, videri vis. Os-  
tuum aliud sonat, quâm acta probant. Sed jam putidæ tuæ assertio-  
nes, & male quæsitæ novaturientis ingenii tui novitates in la-  
finiunt. Aut dic mihi sodes! An immorigeros à S. Coetu arcere,  
& donec resipiscant excommunicare, non nisi persuadere est, &  
hortari? quod tu solum Christi Ministris relinquis. An authori-  
tatis tantum est, non Potestatis? non exusias ad adificationem? Lu-  
dificas Deum & homines. Num impune? Noli hoc putare, Theos ou-  
mykterizet, Deus non irridetur, quicquid de hominibus fiat. Deus te  
convertat, si ignoranter peccas, aut juvenili fervore abruptus, aut  
si velut sus de audita tuba judicas: perdat autem si petulanter.

pag: 21.

Personas Clericorum sanctas esse contra omnem violenti-  
am ex juri. Can: si quis suadente; asseris, ita, ut de jure Pontificio vio-  
lentas illis manus inferens excommunicationem incurrat. Næ, tu qui ex-  
communicaris, dignissimus es propter illatas violentias manus &  
calamum, non tam Personis clericorum, quâm sacratissimo ipso-  
rum officio, idq; citra omnem ruborem & verecundiam. Repeto.  
Deus te perdat si petulanter peccas, aut convertat, si ignoranter.

Hoc accipe Antidoron pro tuæ Ecclesiæ Christi oblato mu-  
nere. *Presumitis vobis in Domino, & admonemus vos,* Te cum primis.  
momemus inordinatum. II. Theff: 5, v. 12. 13. Nec agnoscitis. Re-  
di ad te Friderice. *Iuveniles concupiscentias fuge.* Aliam indu me-  
tem, aliudq; imaginariæ tuæ eruditioni, solidius substerne funda-  
mentum. Tu vis hyperphronein: cave, ne tandem omnis de te, quam  
quæris & affectas, opinio, in puteum cadat, tuque velut Æsopica  
cornicula, omnium irrisioni exponaris. *Dia tñnis hamartanei, dia*  
*touton kolazetai.* Per quæ quis peccat, per eadem punitur.

Hæc tibi cape, Bockelmann, & ex me habe, qui hactenus nihil  
tale

tale concinnavi, tuam verò insolentiam, propter Dei gloriam, & Ecclesiæ atq; Ministerii honorem ferre nequivi. Vis porrò de *Patestate Ecclesiastica* differere<sup>1</sup>, alia mente, alio calamo, alia ratione hoc præsta. Deo sacra facturus, reliquæ cum credentium Patre, asinos in radice aut pede montis, & purum Deo cor offer. Sin hominibus tantum litare velis, non nisi ex Asini cauda cibrum facere conaberis. Si more Ismaëlis, vocem & calamum tuum porrò contra Ecclesiam & ejus Ministros sustuleris, scito publicè prodituros, qui tuam impietatem, ineptias, nugas, rudentem ruditatem, confusionem disparatorum, petitiones principii, fallacias heterozetæ eos, insufficientes partium enumerationes, & quibus præterea ineptissimè ludis, sophismata, ita in apricum sunt producturi, ut tu anser inter olores strepere, amputato tibi capite, certò sis desiturus. Eruditione tuâ, si quæ tibi est, ad bonum publicum, non ad malum commune, feliciter utere, cum primis in nova, quam tibi animitus gratulor, functione.

Desiturus & ego eram Asino caput lavare nitro, & desinam quidem, sed quin verbere uno & altero, de novo extravagantem excipiam, temperare mihi non possum. Ni Fotidis amore illectum, & Herae Ambitionis unguento delibutum, in Asinum Te transsubstantiatum jam nossem, mirari certè subiret, quod sacras & Christianas Nuptias in bestiales commutare congressus, & quicquid ferre honestatis & sanctitatis ipsis adest, petulatissimè rodere conaris.

Ita Nuptias ex solo consensu metiris, Hircander, ut Hierologiam sacram, ut benedictionem sacerdotalem longè, longèq; abire jubeas. Proh pudor! & scelus! Facile mihi persuaseris, frequentes & tibi Asinorum more esse Nuptias, nec difficulter consentire cum quibusvis, quas formosulas & bellulas offendis. Sed audi mihi Asine, move auriculas, ut capias quod dico.

*Ius Agraphon cum tuis dicitur, quod usus approbavit, cum diuturni mores consensu urentium comprobati legem imitentur.*

Cur ergò Hierologiaz omne in matrimonio & Nuptiis jus, tam pertinaciter negas? Quid magis usu receptum? quid magis utentium consensu comprobatum? Nonne in primis Mundi Nuptiis, ipse Deus Adamo uxorem adduxit, & novis nuptis benedit? Nonne deinceps in Ecclesia mos viguit, ex manu Dei, eiusque benedictione per Ministrum, uxorem, ad Adami exemplum, acceptare? Nonne legem, hæc imitaretur consuetudo? Ethnici la-

pag: 43.

pag. 23.

46.8.

45.

410

451

4

3

3

ribus suis familiaribus, pro faustis nuptiis & matrimonio supplica-  
*stück des sacris* re sunt soliti, & certis Numinibus, velut Junoni; quam à nuptiali-  
*Gentil. pag. m.* bus & matrimonialibus officiis, Nuptialem, jugam, Interducam, Do-  
*31. b.* miducam, Cinxiam, Socigenam, Populoniam appellarunt; Veneri item,  
*Razenna, Anaiti &c.* Annon legem hæc imitaretur consuetudo, &  
 matrimonii, si non tō esse, saltem tō bene esse aliquid daret, eti-  
 amsi nullæ alia accederent rationes?

Sed usum, consuetudinem, consensum utentium, quem tan-  
 topere laudavit Eriphianus noster, uno nunc dejicit i&t, & à mun-  
*pag: 37. 38.* di primordio consuetam benedictionem sacerdotalem, suâ unius, aut  
 paucorum ipsi similium heteroclitorum capitum opinione, ex nu-  
*pag: 40.* ptiis & matrimonio tanquam *superstitiosum* tollit ritum, & ad veri  
 matrimonii substantiam ex jure naturali & divino non pertinen-  
 tem, quia *situs ad matrimonium sufficiat consensus*. Qualis consensus?  
 Sponsalisne, an maritalis? Consensus sponsalis facit sponsum: Ma-  
 ritalis demùm, maritum, cui potestas fit publica sponsæ corporis  
*pag: 44. 45.* & bonorum, per publicam benedictionem & copulationem, quæ  
 solennitas non tantum ad honestatem, sed etiam ad necessitatem re-  
 quiritur. Cùm enim *omnia decenter & honestè* (en honestatem) in  
*Ecclesia Dei peragi debeant*, ex mandato Apostoli 1. Corinth: 14. v. 40.  
 (en necessitatem) providendum maximè, ne sponsalia, aut nuptiæ  
 clandestinæ, sed in præsentia virorum honestorum contrahantur,  
 idque non tantum ob conjugii dignitatem, quod sancta Dei ordi-  
 natio est. Genes: 2. 24. Matth: 19. 4. Carpz. Jurispr. Eccl. l. 2. tit. 3.  
 defin: 32. n. 3. sed ob publicam etiam honestatem, quæ non admit-  
 tit in angulo remotis arbitris conjugalem inire societatem. Et  
 quis non animadvertisit in commoda lites inextricabiles, & infinita  
 alia mala ex clandestinis sponsalibus & nuptiis? Clandestinas vo-  
 co nuptias omnes, quotquot sine hierologia & benedictione atq;  
 copulatione sacerdotali, non nisi in angulo celebrantur. Hanc  
 autem hierogiam inter superstitiones actuum ritus reputare, suâ cadit  
 mole, suâq; foeditate perit.

*pag: 40.* Solum consensum perficere nuptias, & nihil præterea ad earum  
 requiri perfectionem, juris esse naturalis rudendo garrit Asinus:  
 Quid? annon Ethnici naturam ducem sequuti, palam sponsalia  
 & nuptias faciendas statuerunt, quod Demosthenes hisce verbis ex-  
 plicat. *Neg, enim in tali contractu quisquam nullos testes adhiberet.* Im-  
 bis de

bis de causis & nuptias celebramus, & maximè necessarios invitamus, quod non res levius agatur, sed vita sororum & filiarum aliena fidei committitur. quæ aut in tuto collocetur, summâ curâ providemus.

Ipsam etiam Venerem audi, de concubitu Cupidinis & Psyches differentem: Impares enim nuptia, & præterea in villa sine testibus, & Parre non consentiente facta, legitima non possunt videri, ac per hoc spurius ille nascetur. Tunc Hircander, ipsa Venere de Nuptiis melius senties? Vereor ne graviter aliquando luas, & Veneri militaturus, Xantippen nanciscare, quæ tonitru verborum, fulmine convitorum, & pluvia mœroris caput tuum sit perfusura.

Sed fortè Divini juris est, quod afferis, solum consensum facere nuptias? Ad bene esse Matrimonii, non solum consensum requiri, sed consensus etiam publicam testificationem, juris divini est, & Ecclesiastici, quod tamen utrumq; tu contemnere confueisti, qui frontem perflicuisti, &

a. Ordinationem Palatinam, Meditationis tñæ tertiiæ axiomaticæ 1. 2. 3. pag: 40. 41. 43. iniquitatis accusas, quæ Sponsis ante solennem in Ecclesia benedictionem & copulationem concubentibus, publicam poenitentiam imponit.

b. Tollis è Matrimonio, mysterii inter Christum & Ecclesiam, designationem, de quo Ephes: 5. v. 29. negatâ publica benedictione, quâ ab ipso quasi Deo, per os Ministri loquentis, spectantibus Angelis & hominibus, personæ desponsatae copulantur, & sacra hac actione, Nominisq; divini invocatione, ipso Deo individui consortii initium consecratur. Carpz. Jurispr. Eccl. 1. 2. tit. 6. defin. 100. n. 14. 15.

Bestiale denuò sapit acumen, quòd libertatem conjugii, cum libertate æris, maris, littorum, fluminum &c. comparas. Tam scilicet merè naturale est conjugium, atq; maris motus, fluminum decursus &c. ubi ergò singularissima Dei institutio?

Quicquid oblitrepas, absq; hierologia, nullas in Ecclesia bene constituta, (cuius te membrum quidem jactas, sed eius jura, potestam & privilegia, non sine sacrilegio impugnas) perfectas & honestas habebis nuptias. Pudeat, pudeat te, sacram hanc actionem, etiamsi de sola ageretur honestate, impugnare. Omnem exuisit honestatis frontem oportet, qui se hic opposuerit, & actiones injustas & dishonestas, pro justis & honestis obtrudere fuerit conatus.

Cur rarissima quædam exempla à Te prolata, magis Te movent, quām omnia omnium honestarum nuptiarum? Una hirundo non facit ver. Neq; exemplis stamus sed regulis. Tu vero, quæcunq; proposito tuo, & novaturienti cerebro inserviunt, per fas & nefas corradis.

*Ernesti Cothmanni, Juris ceterà Antecessoris eminentissimi, judicium, cur omnes, in omnibus, & ante omnia audiremus? Ipsi⁹ne cerebro standum, si eadem tecum aberret chorda? Certè parum pietatis habet, qui sacratissimam impietatis accusat actionem. Tu⁹ & tecum aberrantium epicrisis non divinæ sunt, non Ecclesiasticæ, conscientiis non sufficiunt.*

Nempe, liberè agis, & tui similes tecum, quando huius Imperatoris constitutiones, tanquam sanctissimas ad astra fertis, aliorum æquè bonorum, & magis etiam piorum, æternū valere jubetis. Leonis, Alexij ac Comeni constitutiones hierologiam firmissime stabilunt. Vos non curatis? Cur ergo nos alias & aliorum? Magistratus Belgij frustra in tuas partes pertrahis. Multa eos ferre jubet ventus, Ratio statu⁹, & Mercatura, quæ propter Christum non ferrent.

*Quæ sit manuductio Palatina ad jus Matrimoniale, quam crepas, me quidem fugit. Hierologiam vero, quā Nuptiæ publicæ benedicenda sunt, in Ecclesiasticis agendi publicatam, & in Ecclesiis Palatinis laudabiliter hactenus observatam, porròque bono cum Deo, sub Nutriti⁹ Ecclesiarum Palatinarum Præsidio observandam, probè perspectam habeo, cui manuductionem illam tuam, non fore contraria credo: Aut si contraria, à tui simili cerebello; qualia circa annum Christi 1565. Palatinatus, multa habuit; conficta est, quam, illa è folio deturbatâ, in Palatinatum nostrum sine maximo scandalo nemo introducet aut promulgabit, ne Bockelmannus quidem, et si in secretius Serenissimi Principis consilium admissus, qui piis & honestis omnibus, ob putidas suas assertiones hircum olet, & ita sordet, ut hoc hominis monstrum mirentur, mirenturq; ipsum in tam celebri Academia docere, nec cum fune & virga, Regione expelli.*

*Cum Hugonis Donelli verbis, caudam tuam Afininam monstras: Res è deducitur, ut certò constet, quod proposui, Nuptias ut aliam societatem omnem, solo consensu contrahi.*

*Sive solum hoc pensitares, Nuptias expressissimam habere institutio-*

PAG: 47.

Ibid.

PAG: 47.

PAG: 47.

institutionem magni illius Jehovæ, qualem alia societas non habet, vel hinc singulare quid & sanctum nuptiis dandum, præ aliis societatibus cerneret. Sed tibi omnia eiusdem coloris sunt, societas conjugalis, & societas furum, consentientium ad furtum, societas lusorum, helluorum, Veneris Nepotulorum &c. Fateor, si consentias cum fure ad furtum, te vinculo ipsi tam firmo uniri atq; constringi, quod ne ipsa quidem morte in patibulo solvatur.

De Divortio paucis te volo, qui præter adulterium & scortationem, insidias & inimicitias capitales, vel servitiam intolerabilem, vinculi solutioni locum facere putas.

A septennio demum hanc hausisti sapientiam, Heidelbergæ mentem mutasti. Quibus usus Doctoribus? Vix illis à quibus ne quidem assensum Academicum poteras impetrare, ut nugas tuas propalares, & qui acyrolægias tuas, tibi, tuo cum periculo, defendendas reliquerunt. Si singulis septenniis tanta accipies eruditio incremenata, quid ni tandem septem Græciæ Sapientibus octavus es connumerandus? Imò prægrandis fies asinus, tam auritus, quam ille, qui à Silesio, omnium leporum Mater est reputatus conduxisset Syracidis attendisse monitum, esto stabilis in doctrina tua. *No sodes he tou hydatos metabole, pernitiosa est aquæ mutatio.* Aristot. judice. Sed longè perniciösior mentis in pejus.

Vellem te, ut serio tecum agam, repuerascere. Spanhemium laudas, eminentissimum Theologum, & nunquam satis laudatum, huic docilem præbe mentem, & tibi quoq; harpocraticum imponet digitum. Lege ex dubiis eius, dubium 147. & seqq. Summam rei tibi hanc dicit. Ut vero causas divortiorum in scriptura notatas, (adulterium scilicet, & malitiosam desertionem) legitimas censemus, sic illegitimas illas, quas humana constitutiones sive civiles, sive Ecclesiastica præter DEI verbum introduxerent. Neq; enim hominis est laxare legem, quam Deus astrinxit, & astrictam voluit. Ut ut itaq; divortia ejusmodi molientes, immunitatem sœp; obtinent in foro Civili, eam tamen haud quaquam obtinent in foro conscientiae, & tametsi immunes sunt à pœna coram hominibus, immunes tamen nequaquam sunt à culpa coram Deo, sed rei soluti vinculi, quod Deus astrinxit. Et paulo post. Graves sunt (ab Imperatoribus adjectæ causa divortij) que crimen capitale intentant alterutri conjugum, v.g. neficium, homicidium, insidia structa vita alterius veneno vel gladio &c. Si harum causarum habeatur ratio, nihil attinet de divortio inter Conjuges disceptare:

pag: 48.

pag: 60.

pag: 53.

4

46. 8.

45.

4. 0

5

4

3

5

disceptare, quum talia patrantes obnoxij sint ipso jure divertio cum genere humano, & poenit capitalibus: si itaq; heic Magistratus jus Dei & suum exsequatur, res confecta erit, & matrimonium finitum potius, quam direptum, pro ut morte finiri propriè, non dirimi conjugia restantur Iuris Consultorum filij. Satisfacit gravissimus hic Theologus attento cuivis Lectori. Proin & tibi, ni petulante sis splene, ad n... s informandam mentem tuam, sufficere potis.

Resipisce, Bockelmannne, aut ad Independentes, Colemannianos, Scheceros, & alios Fanaticos in Angliam, ad sceleratam illam sobolem, non terrâ, non mari, non aere ferendam; quibus hæc tua, sua debent Natalia, Te ablegabimus. Hæc Te, mi Hircander volui.

I. dupl. jam perfida bella

& geminas arcessit acies. Hæc præmia restant.

Incute infestas calces, non curo, nec me feries. Restibi est cum Christo & eius Ecclesia. Retorquebis forte Asinum in me? Nec hoc mihi crucem figet. Primum jamne accidit, ut Asinus Asinum scabat? Etiam si magna cum indignatione rudere, auribusque & bombis tuis, quasi tormentis & bombardis exitium minari incipiias, nec tu me movebis, nolim enim novâ scriptione Asinum tondere, quod facerem, si ultrò manus tecum consererem. Tu velut Balneatoris Alinus, hoc nunc suscipe onus, ferq; patienter, & cave ne alii te plane excorient, quod si fecerint, humanam tibi formam & mentem reducent. Si, quis ego sim, Agaso tuus, te cruciat, accede me, & audies, ruri hæreo: velitationes Academicæ apud me jam in desuetudinem abierunt, nec saltat Minerva mea, nisi coacta.

Tu vale, mi Bockelmannne, & ab Antecessoribus tuis Academicis eam suscipe eruditionem, quam nuper modò, pullus quidam Asine, quem eius Agaso, Urbanus nomine, re festivus & lepidus homo, se incurvare, prostratum humili jacere, ignavos famulos imitari, resurgere, pedam offerre &c. docuit, & percontanti: annon literas quoq; legere, & scribere, Asinum doceret? respondit: Ita verò mi Domine, novi enim, officium publicum à Serenissimo nostro te petere, informabo melius in literis Asinum meum, ut cum vicinam obtinueris Cellariam, Asinus meus tibi sit à consilijs & calamo. Tu, quam Asinus quadrupes à suo Agasone suscepit eruditionem, Asinus bipes, à me, tuo Agasone, suscipe, ut Academia fideliter atq; feliciter à consiliis sis & institutione. Iterum vale, & recipe formam humanam, mentem Christianam. DIXI.











## Aduersus Montanum.

76

num sane Concilium est & antiquissimis  
forme, quod more suo Ecclesia Romana  
ac celebrat: quod inq; à Pontifice Roma-  
tur, habetur à Præfulibus, aut his qui iure  
onsuetudine diutissimè seruata, interesse  
ent, & suffragia deferre, de doctrina fidei,  
ecclesiæ, uel pacé inter Príncipes Christia-  
nū. Quodcunq; ab hoc discrepauerit, Ec-  
cē solet Concilium appellare, sed Sathanæ  
Concilium malignantium, Conciliabu-  
rum mente perditorum.

um prouehor?

MON.  
GASP.

ræcipitem egit extra te ipsum amentia aut  
icendi, ut quo proueharis, nescias. Recipe

olui graues ob causas profectione Triden- MON.  
ter sedendum esse: quod si perfeci, dicendi  
us sum. Supereft, ut uelis collectis, nauem in  
cam.

nile perfecisti, neq; perficere unq; poteris, GASP.  
niuersa colluquies hæreticorum suppetias  
estat, nisi ut ad te redeas, in te descendas,  
tisper habites. Cogites, unde excideris,  
& Ecclesiæ Romanæ charissimæ eius  
tare debeas. Ego non dubito, quin si te  
, atq; id animo feceris ueritatem explos-  
tendiq;, facile tibi Spiritus sanctus eam

X in mentem